Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 775
Quelle:
Copyright:

audeo dicere peccator (Mendosum hic aliquid, collatione tollendum) *quis enim sine peccato. sed si uitam sine crimine duxerit. et alia peccata habuerit quę cottidie dimittantur in oratione dicentis. dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. si ergo faciat quod sibi a deo cupit fieri. quando diem finierit uitam non finit. sed transit de uita ad uitam. de laboriosa ad quietam. de misera ad beatam. de temporali ad ęternam. Siue iste uoluntate sua currat ad baptismum. siue in periculo constitutus baptizetur et transeat. ad deum uadit. ad requiem uadit. baptizatus autem et postea desertor uiolatorque sacramenti fuerit. peccat et deum repellit a se. Si autem agat penitentiam* &c. deinceps, ut in *Edit.* licet frequenti Lectionis varietate.

III. *fol.* 8. p. 2. *Incipit ejusdem* (Augustini) *de ieiunio et oratione.* Initium: *Aduersus Dęmonum nequitiam que dominus arma nobis ostendit. debemus utique retinere* &c. Finis: *Hoc prestat ieiunium. hoc prestat oratio.* Sermo brevis ablegatus a *Maurianis* ad *Append.* T. V. *col.* 134.

IV. *fol.* 9. p. 2. *Admonitio ad populum.* Initium: *Hodierna die qui baptizati sunt in christo et regenerati alloquamur eos. et uos in eis. et ipsos in uobis* &c. Est *Augustini Sermo I. in die Paschae* T. V. *col.* 968. qui finit: *sed voluit de sepulchro resurgere*, non abs lectionis varietate. Ita Edita: *inter paucos angustam viam ambulantes non eritis.* Cod. *in paucis angustam uiam non ambulatis.* Ed. *diaboli susurrationem.* Cod. *usurpationem.* Ed. *Venit inimicus.* Cod. *Monet* &c.

V. *fol.* 11. *De Morte.* Initium: *Mors autem uera quam non timent homines. separatio est animę a deo.* &c. Excerptum est ex *Aug. Sermone* II. in Partem 2. *Psalmi* XLVIII. et *v. Sicut oves in inferno positae* &c. qui legitur T. IV. *col.* 436. Pertingit autem a *n.* 2. ad *n.* 5. in haec verba desinens: *tantam uetustatem et corruptionem suppliciorum habebit in inferno.*

VI. *fol.* 13. *In hoc libello increpatur dolosus et iracundus.* Initium: *Intendite fratres mei ad caritatem. quam sic laudat diuina scriptura* &c. Est *Sermo Aug. de Dilectione Inimicorum*, qui legitur T. V. *col.* 1491. et finit: *in hoc mortali corpore et in futuro. in secula seculorum. Amen.* Textus mendosior Editis. Ita legas *cauallarius* pro *Tabellarius.*

VII. *fol.* 14. p. 2. *Sermo sancti Augustini De quadragesimę abstinentia.* Initium: *Omne Vite nostre tempus stadium quoddam debemus putare uirtutum* &c. Finis: *ut ad eternam et ueram uitam uos perducat ipse, qui uiuit* &c. Repositus in *Append.* T. V. *col.* 253. *De Quadragesima* IV.

VIII. *fol.* 15. p. 2. *De Cogitationibus.* Initium: *Primum quidem cogitationibus malis repugnandum est. ut cum aliquid carnale aut sordidum* &c. T. VI. *Aug.* in *Append.* censetur *Sermo LXXVI. ad Fratres in Eremo, col.* 378.

ubi